

384

382

388

378

393

373

433

333

483

283

Ende

Anfang

369

multi Christiani valde laborant ad habendum aliquid de illa porta, et saepe mortis periculis se exponunt noctibus accedentes et de ea vellentes particulas. Quidam pecuniis non parcunt, sed Sarracenum aliquem disponunt pro pretio, qui de ea discerpat, et eis tribuat cuprum vel lignum pro auro et argento. Causa autem, quare reliquiae illius portae ita carae sunt, est, quia dicitur (an superstitosum sit, ignoro), quicumque aliquid de illa porta secum portat, quod apoplexia et morbus caducus et pestilentia eum non potest invadere. Iuxta hanc portam quondam, dum Christiani Jerusalem habebant, fiebat magnam festum in die palmarum. Nam in vigilia vel sabbatho palmarum clerus omnis in Bethaniam exibat, et vigilias per noctem celebrabant in ecclesia sancti Lazari, et crepusculo cum processione ascenderunt de Bethania in Bethpage, et ibi aliquem de magnis episcopis posuerunt super asinum, inductum sacerdotalibus vestibus, et contra civitatem sanctam processerunt. Eis autem descendantibus de monte Oliveti reliqui clerci et religiosi cum universa plebe de civitate eis obviam cum ramis palmarum processerunt, et modo evangelico de olivis ramos caedebant et projiciebant in viam, et vestimenta sua in via prosternebant clamantes: Osanna, etc. Et cum de valle sursum contra portam ascenderent, portas ipsas claudebant, et juvenes supra turrim stabant, cantantes: Gloria, Laus et caetera, Et finito hymno deducebant episcopum cum magno jubilo in templum. Post perditionem vero civitatis sanctae et Latinorum expulsionem continuaverunt Armenii cum eorum episcopo hanc festivitatem multis annis, quounque diabolo instigante ibi suos damnatos mortuos sepelire coeperunt, et ex tunc portam obturaverunt. Nunc vero ita diem palmarum festinant: ipso die post Officium divinum et cibi sumptionem exeunt fratres montis Syon in Bethaniam, et cum processione et cantu ascendunt in Bethpage, (142A) ibique aliquem fratrem sacris induitum ponunt super asinum, et cum laudibus ipsum comitantur contra civitatem. In descensu autem montis Oliveti accurrunt eis caeteri Christiani orientales cum ramis palmarum et olivarum et cum prosternatione vestimentorum, et deducunt eum usque in torrentem Cedron, et ibi finitur processio, non enim audent sic cum laudibus contra civitatem ascendere, ne Sarra-

